

ria: non vero gaudet æquali ac filius: quod satis indicat ipsum verbum *astitit* contrapositum verbo *sedere*: Hoc enim significat sessionem cum majestate, illud vero stare supra pedes cum reverentia, & obsequio.

193. Inq. Sancti, qui surrexerunt Christo resurgente, ascenderunt *corporaliter* in cœlum cum eo? R. nihil certum de hoc affirmari valet, aliqui sic asserunt, sed alii id negant, de quorum numero est S. Augustinus apud D. Thom. 3. p. 2. 53. art. 3. ad 2.

194. Inq. Quis est septimus articulus humanitatis? R. *Credere quod Christus venturus est judicare vivos, & mortuos in fine mundi.* Assistet Christus præsentia corporali visibiliter, & tota Trinitas invisibiliter. Nemo scit, quando erit iudicium universale, nec ipse Christus ad revelandum aitis. Fiet in valle Josaphat, ubi congregabuntur omnes gentes.

195. Inq. Quando, cuique fit iudicium particulare? R. In instanti suæ mortis. Ubicumque enim quis moritur, illico iudicatur. In illo enim instanti exigitur ab anima ratio villicationis suæ, hoc est totius vitæ suæ, & juxta illam profertur sententia sine appellatione, ut ejus anima pergat in cœlum, purgatorium, aut infernum.

196. Inq. Cur ergo fiet iterum iudicium universale? R. Ob plures causas. 1. Quia sicut homo est persona particularis, & pars universi, ita iudicetur ut particularis in iudicio particulari, & ut pars universi in universali. 2. Ut agnoscant omnes rectitudinem justitiæ divinæ, videndo cur Deus permisit bonos in hac vita affligi, & vexari, malos vero prosperari. Unde, *tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustia verunt.* Sap. 5. & mali dicent: *hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum* Ec. 3. Ut omnibus pateant opera omnium juxta illud Sybillæ: *cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.* 4. Ut coram omnibus fiat ultima separatio bonorum a malis ad complementum gloriæ illorum; & ignominie istorum. Inq. Vocaliter, vel potius mentaliter fiet iudicium universale? R. Mentaliter. Virtute enim divina innotescant omnibus suæ, & aliorum facta. Unde tam discussio omnium operum, quam commendatio bonorum, accusatio malo-

rum, & sententia de utriusque mentaliter perficientur. Non per species impressas tantum, sed per impressas & expressas intellectuales.

197. Inq. Cur dicitur, quod veniet iudicare vivos, & mortuos? R. Per vivos intelliguntur justi, & per mortuos iniqui. Quidam per mortuos intelligunt illos, qui decesserunt ante illum diem, & per vivos, qui morientur in ipso die. Alii putant quosdam non esse morituros, & hoc vocant vivos, sed hoc est contra communem sententiam theologorum.

198. *Objic. ex Psalmo 1. Non resurgent impij in iudicio, ergo mali non aderunt iudicio?* R. neg. cons. Quia non resurgent sicut boni ad vitam, & felicitatem æternam; resurgent tamen ad damnationem, seu supplicium æternum.

199. Inq. Qui usque ad illum diem, proxime ad eum vivent, quomodo purgabunt pœnam temporalem? R. Ipse ignis, qui præcedet iudicem, deserviet eis pro pœna, vel augebit eis Deum pœnam adeo intensam, ut æquivalet longiori, qua regulariter puniri debent.

200. Inq. Angeli iudicabuntur, aut iudicabuntur? R. Angeli boni assistent cum iudice ut testes, non ut conjudices. Quia non coaformantur in natura cum iudice, sicut Apostoli, & alii viri apostolici, qui ob conformitatem cum Christo in natura, & in paupertate voluntaria perfecte observata, sedebunt cum eo in iudicio tamquam iudices. Angeli autem tam boni, quam mali iudicabuntur, non iudicio discussionis, sed approbationis, aut reprobationis; & etiam indirecte ratione hominum, quia Angeli boni induxerunt eos in bonum, mali autem in malum. Iudicabuntur etiam Dæmones iudicio comparationis cum maxima eorum ignominia, videndo quod conditi in gratia amiserunt id, quod homines concepti in culpa, & flagellis naturæ adepti sunt mediante gratia. Ex his intelligitur illud Apostoli 1. ad Cor. 6. *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus?* Hoc est indirecte, vel iudicio comparationis.

201. Inq. Quomodo fiet iudicium universale? R. Adveniente novissimo die, mortuisque omnibus hominibus, resonabit per totum universum tuba Angelî, qui vocavit omnes illis verbis; *Surgite mor-*

tui, & venite ad iudicium. Cui omnes obediendo sine excusatione pergent illico in vallem Josaphat. Resurgent enim Dei virtute in momento: boni sole pulciores, mali nigri, & horribiles. Tunc apparebit sancta Crux ante iudicem cum maximo gaudio bonorum, & ignominia, & merore malorum; descendet Christus corporaliter cum sua SS. matre, & majestate magna, & omnes sancti, & Angeli cum eo, & sedens in suo throno aperientur libri, ubi scripta sunt cuncta merita, & demerita singulorum, juxta illud: *Judex ergo cum sedebit, quidquid latet apparebit.* Nam divina virtute patefient omnium processus: quibus visis, & cognitis, profertur iudex sententiam finalem dicens malis: *Ite maledicti in ignem æternum* &c. Et bonis: *Venite benedicti patris mei* &c. Unde ibunt justi in vitam æternam, & mali in supplicium æternum; omnia hæc perficientur brevissimo tempore, quia ut dictum est, non vocaliter, sed intellectualiter fiet. D. Thom. in suppl. q. 88. art. 2. Debent etiam explicite credi quatuor esse novissima, nempe mors, iudicium, gloria, & infernus, quia licet satis comprehendantur, & credantur in symbolo, & articulis; tamen credi debent sigillatim, & expresse. Idemque est de purgatorio.

CAPUT V.

Agitur jam de secunda parte doctrinæ Christianæ, quæ docet ea, quæ a nobis sunt oranda, vel petenda, inter quæ primum locum tenet oratio dominica. Videatur cursus Salm. tract. 21. cap. 9. punct. 6.

§. I.

De oratione dominica.

202. Inq. Quæ est oratio dominica? R. Est illa, quam Christus docuit *Matb. 6.* Appellaturque *Dominica*, quia ipse Dominus illam composuit, dicitur etiam *pater noster*, quia ita incipit. Inq. Ad quid illam composuit? R. Ad nos docendum orare, & petere. Inq. Cur præponitur aliis orationibus? R. Quia est excellentior omnibus. 1. Quia est instituta

ab ipso Domino. 2. Quia continet septem petitiones fundatas in omni caritate, nempe Dei, & proximi. 3. Quia est nobis utilior omnibus cæteris, tamquam memoriale compositum ab ipso iudice, & advocato. 4. Quia est simul brevissima. Comprehendens omnia nobis necessaria, qua ratione merito dicitur *Breviarium Evangelii*, sicut officium ecclesiasticum vocatur vulgo *Breviarium*, quia est compendium scripturæ sacræ.

203. Inq. Cur illam disposuit adeo brevem? R. Ut facilius possemus eam discere, scire, & repetere. Inq. Prohibuit alias orationes? R. Minime: solum prohibuit in oratione multiloquium, ut faciunt Ethnici, qui putant Deum ignorare quibus nos egemus, & opus esse eum multis, verbis informare. Inq. Quid est orare? R. Elevare mentem in Deum, & petere ab eo mercedem. Aliis terminis oratio est *petitio decentium a Deo. Vel elevatio mentis in Deum.*

204. Inq. Quenam continet hæc oratio? R. Tria. Constat enim quodam præludio, seu exordio, & septem petitionibus: Ex quibus tres pertinent ad gloriam Dei, & quatuor aliæ ad nostram utilitatem. *Contra S. Lucas cap. 11.* quinque tantum petitiones ponit, ergo non sunt septem. R. Quod S. Lucas in quinque septem complexus est, includendo tertiam in prima & secunda; & septimam in sexta. Ita D. Thom. 22. q. 83. a. 9. ad 4.

205. Inq. Christus aliquando oravit pro se, & pro nobis? R. In quantum homo oravit pro se, ut patet ex Psal. 40. *Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me.* Patet etiam ex Evangelio orasse pro sui corporis claritate, seu resurrectione. Unde *Christus orando petiit, & meruit suam resurrectionem in quantum homo.* Ait D. Thom. 3. part. q. 53. a. 4. ad 2.

206. Oravit etiam sæpe pro nobis, tum in montibus solus, ubi pernoctabat, tum in vallibus; quidquid etiam agebat, pro nostra salute efferebat. Orat pariter nunc in cælo, ut patet ex cap. 8. ad Rom. *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Imo Christus nunquam cessavit ab oratione.

207. Inq. Quando invocamus Christum,

ut

ut in litanis, potest dici *ora pro nobis*? Posset dici in sensu catholico, considerando Christum, ut hominem, non tamen dicitur, ne convenire videamur cum Ario negante Divinitatem Christi. Unde non dicimus: *Christe ora pro nobis*: sed *Christe audi nos*, quia oratur a nobis, ut Deus, licet oret pro nobis, ut homo, sacerdos, advocatus, & caput nostrum. Inq. Quo modo dicitur, quod Spiritus sanctus orat aut postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus? R. In quantum nos facit sic orare, & postulare, illuminando nostram mentem, & inflamando voluntatem.

§. II.

Explicatur oratio dominica.

208. Inq. Quod est præludium hujus orationis? R. *Pater noster*, qui es in caelis. Vox *Pater* denotat tres Personas: nam licet quælibet persona possit invocari precise ab aliis: tamen in presenti tota Trinitas invocatur nomine Patris. Inq. Cur dicitur *Pater* potius, quam *Deus*, aut *Dominus*? R. Quia nomen Patris est pietatis, amoris, & confidentiæ, *Pater* enim dissimulat defectus filiorum, & non denegat eorum justas petitiones. Est igitur nobis nomen Patris quædam impetrandi præsumptio, aut fiducia. Inq. Quot titulis est Deus *Pater noster*? R. Multis, creatione, conservatione, redemptione, reparatione, adoptione, & vocatione, qua nos ad cæli hæreditatem vocavit, suosque hæredes instituit. Hoc verbo *Pater* ostendit Christus nos esse suos fratres, & cohæredes. O mira pietatis dignitas!

209. Inq. Cur dicitur *noster*, & non *meus*? R. Quia caritas omnia bona facit communia, & Magister charitatis voluit omnes orare pro singulis, & singuli pro omnibus. Ideo dicitur *Pater noster*, id est *Pater omnium*, & singulorum.

210. Inq. cur dicitur *qui es in caelis*? R. *Primo*, his verbis denotatur summa Dei potentia, qua potest præstare omnia, quæ petimus; est enim in caelis ut Dominus omnia gubernans, & moderans. *Secundo*, quod non debemus alia postulare, nisi ea quæ ad cælum nos conducunt. *Tertio*, nos quando oramus debere in cæ-

lum mentem nostram erigere. *Quarto*, quod licet Deus sit ubique, tamen in caelis specialius habitat, quia ibi perfecte videtur, & plene communicatur.

211. Inq. Ad quid fit hoc præludium? R. ut considerando quod, *pater noster* non est terreus, sed caelestis, agnoscendoque ejus pietatem simul, & excellentiam cum humilitate, & fiducia ad petendum excitemur, ita D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 9. ad 5.

212. Inq. Quæ est prima petitio? R. *Sanctificetur nomen tuum*. Hoc est, quod nomen Dei, & ipse Deus ab omnibus agnoscat, veneretur, colatur, glorificetur, & sanctificetur. *Contra*, Deus est infinite sanctus, ergo nequit sanctificari. R. dist. antec. *Sanctificatione intrinseca* conc. ant. *Extrinseca* neg. ant. & conseq. Dei sanctitati nihil valet addi *intrinsece*, valet tamen ad nos extendi, & a nobis agnosci, adorari, & laudari, & hoc est, quod poscimus.

213. Inq. Quid petitur in hac petitione? R. *Primo*, conversio omnium infidelium, hæreticorum, & peccatorum ad veram fidem, & poenitentiam. *Secundo*, pro justis exercitium virtutum, continuatio, perfectio, & perseverantia finalis. Tunc enim Deus sanctificatur a nobis extrinsece, quando sua gratia sanctificamur intrinsece.

214. Inq. Si hoc ita est, cur id non petimus ab hominibus, sed a Deo? R. Quia homo ex se non est capax agnoscendi, laudandi, aut colendi Deum, nec sanctificandi se. Ideo petimus a Deo, quod sua gratia convertat omnes peccatores, & fideles, & perficiat justos in sanctitate, ut sic ab omnibus agnoscat, adoretur, laudetur, & in omnibus sanctificetur.

215. Inq. Quæ est secunda petitio? R. *Adveniat regnum tuum*. Hoc est, quod regnet Deus in vobis, hic per gratiam, & potissime in alia vita per gloriam. Inq. Quotplex est Dei regnum? R. Quadruplex, nempe *naturæ*; est enim dominus universorum, in quibus est tamquam Rex dando omnibus esse, omnia gubernando, & aspiciendo, per essentiam, præsentiam, & potentiam. *Gratiæ*, qua speciali modo regnat in justis. *Gloriæ*, qua modo peculiari regnat in beatis. *Totalis*, & *pacificæ possessionis*, qua, devictis finaliter hostibus, regnat post diem judicii.

216. Inq.

216. Inq. Quod ex his regnis petitur in hac oratione? R. Proprie hoc ultimum, scilicet, quod Deus, destructo regno Diaboli, regnet in justis per gratiam, & gloriam, & in impiis per justitiam, & vindictam æternam. Nam quod regnet Deus in nobis per gratiam, pertinet ad primam petitionem. *Dices*: ergo petimus, quod veniat finis mundi, aut dies judicii. R. Petimus regnum Dei *directe*, & finem peccati *indirecte*, & consequenter etiam diem judicii, ne Deus amplius offendatur, sed plenissime in omnibus regnet in æternum.

217. Inq. Cur non petimus conservationem nostram perpetuam? R. Quia hac impedit regnum gloriæ, & non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Unde petimus transferri ex hac vita periculosa ad regnum gloriæ, ubi glorificati anima, & corpore regnet perfectissime Deus in nobis, & nos cum Deo. * Nilominus potest hæc petitio intelligi etiam de regno Dei in nobis in hac vita, licet in futura perfecte sit complenda. Nam regnum Dei intra nos est: quo sensu bene petimus *sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum*, expulso regno peccati, hoc est, quod regnet Deus in nobis in hac vita per gratiam, & in altera per gloriam.

218. Inq. Quæ est tertia petitio? R. *Fiat voluntas tua sicut in caelo, & in terra*, hoc est sicut in caelo ab Angelis, ita in terra ab hominibus. Per *ly sicut* intelligitur similitudo æqualitatis in voluntate, & affectu; in operatione autem quædam proportio. Nam licet divina gratia possimus in hac vita velle facere voluntatem Dei, sicut beati in caelo; non vero possumus opere illam adeo perfecte adimplere, quia *septies in die cadit justus*. *Prov. 24. Hæ tres petitiones perfecte complebuntur in vita futura*, ait Angelicus 2. 2. q. 83. art. 9. ad 1.

219. Inq. Quotplex est voluntas Dei? R. Duplex nempe *beneficentiæ*, & *signi*. *Voluntas beneficentiæ* est, qua Deus vult absolute aliquid fieri, & semper fit juxta illud Psalmi 113. *omnia quæcumque voluit fecit*. Huic voluntati debemus conformari in bonis, & prosperis congaudendo, & in adversis tolerando, ut cum Deus fame, peste, bello, aut alia calami-

tate nos castigat.

220. *Voluntas signi* est etiam duplex, nempe *præceptiva*, & *consiliativa*. *Præceptiva* est, qua Deus aliquid præcipit, aut *vetat* per suas leges, & præcepta, & hanc semper implere tenemur. *Consiliativa* est, qua aliquid consulit v. g. virginitatem, paupertatem spiritus, seu statum perfectionis vite: Huic voluntati non tenemur conformari: quia non vult Deus obligare ad id, quod consulit.

221. Inq. Quid petitur in hac petitione? R. Gratia efficax, ut in omnibus faciamus voluntatem Dei, sicut faciunt illam beati. Inq. Cur petimus gratiam efficacem? R. Quia est in nobis *fomes peccati* repugnans divinæ voluntati, ad quem vincendum indigemus auxiliis divinis; ad *posse sufficientibus*, ad *agere efficacibus*.

222. Inq. Voluntas nostra debet semper conformari cum voluntate divina? R. Non semper in *volito materiali*, semper tamen in *volito formali* voluntatis beneficentiæ, & permissivæ. *Volitum formale* est ratio, qua Deus vult aliquid fieri, quæ semper est bona, & honesta. Ideo debemus ab ea non discordare. *Volitum materiale* est id, quod fit, aut accidit, ut infirmitas, mors, & quælibet adversitas, quam possumus desiderare, ut non eveniat. Imo Deus ipse vult, ut nos ab ea moderate fugiamus, defendamus, & petamus liberari, orando pro salute nostra, & aliorum. Verum adversitates, quas vitare non possumus, debemus humiliter tolerare, dicendo *fiat voluntas tua*.

223. Voluntati permissivæ Dei, qua peccata permittit, non debemus conformari, quia nec ipse vult peccata. Unde nec in damnatione propria, nec aliena possumus nos conformari in *volito materiali*. Hoc est, in desperatione, blasphemis, & peccatis damnatorum.

224. Inq. Quid facere, aut dicere deberet ille, cui heret revelatio propriæ damnationis? R. Deberet humiliter dicere: *Domine, dummodo te nusquam offendam, præcipe me, quo volueris. Fateor me non cælum, sed infernum mereri, ideo dummodo a tuo amore, & gratia non separer, fiat voluntas tua. Si unum ex numero reproborum, etiam in inferno volo te adorare, laudare, & amare in æternum.* His

&

& similibus actibus debet repelli inimicus, qui sæpe tentat spiritu pusillanimitatis, diffidentia, & desperationis.

225. Inq. Quæ est quarta petitio? R. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Inq. Quid poscimus in hac petitione? R. Quod det nobis Deus sustentationem convenientem corpori, & etiam spiritualem gratia, & sacramentorum animæ. Inq. Quotuplex est hic panis? R. Triplex, nempe *naturalis* in quo intelligitur congrua sustentatio necessaria ad vitam, & declaratur nomine panis, quia panis inter omnia est magis necessarius ad vivendum. *Spiritalis*, sub quo intelliguntur virtutes, doctrina Evangelica, & gratia. *Sacramentalis*, sub qua intelliguntur sacramenta, & præcipue Eucharistia, quæ vere est panis substantialis. Hos tres panes poscimus in hac petitione, quia omnibus indigemus.

226. Inq. Cur hunc panem dicimus *nostrum*? R. Quia Deus est adeo liberalis, quod illum gratis dat nobis tamquam nostrum. Vel quia non debemus accipere alienum, sed quem Deus unicuique tribuit. Non dicimus *meum*, quia *meum*, & *tuum* est verbum frigidum, & caritas omnia bona vult omnibus, & non uni soli. Inq. Cur dicimus *da nobis*? R. Ad fatendum non deberi nobis quantumvis laboremus, sed dari gratis.

227. Inq. Cur addimus *hodie*? R. *Primo*, quia vult Deus frequenter nos orare, ab eoque necessaria quotidie postulare. *Secundo*, ut sciamus omni die, imo omni momento aliquo Dei sustentaculo nos egere. *Tertio*, ne simus nimis solliciti de die crastino. Nimia enim sollicitudo distrahit mentem ab oratione, & a rebus divinis. Verum non reprobat in superioribus, & patribus familias prudens cura, & diligentia circa rem familiarem dummodo sit absque anxietate, & perturbatione.

228. Inq. Quæ est quinta petitio? R. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Inq. Quid poscitur in hac petitione? R. Quod dimittat nobis Deus peccata nostra, & eorum reatum culpæ, & poenæ, sicut nos dimittimus illis, qui nobis injuriam, aut malum fecerunt. Nam peccata sunt sum-

um debitum ob summam offensam Deo irrogatam, quæ ideo est moraliter infinita. Unde peccator Dæmoni, morti, & inferno debet animam, Deo autem debet infinitas animas, si haberet, & infinitas mortes, & gehennas, si posset eas pati.

229. Inq. Petimus dimitti nobis debita caritatis, religionis, aut aliarum virtutum? R. Minime: quia potius in tertia petitione oramus concedi nobis auxilia ad ea implenda, & solvenda. Petimus vero etiam in ista dimitti nobis defectus circa dictarum virtutum exercitium commissos.

230. Inq. Justi debent hoc ipsum petere? R. Utiq; 1. Quia nemo scit, an sit dignus amore, aut odio. Vel an sit in gratia, aut peccato. 2. Quia septies in die cadit justus. 3. Quia debet quisque dicere. *Amplius lava me ab iniquitate mea.* 4. Pro peccatis aliorum: quia ratione non petimus dimitti peccata mea, sed *nostra*.

231. Inq. In quo differt hic *ly nostra* a *ly nostrum* posito in quarta petitione? R. In eo quod ibi panis dicitur *nostrum*: quia datur nobis a Deo: hic autem debita sunt vere *nostra*: quia non a Deo, sed a nobis, & a nostra malitia prodeunt peccata juxta illud Osee 13. *Perditio tua Israel.* Hoc est *perditio tua Israel ex te*, ut legitur in D. Thom. 1. part. 2. q. 23. a. 3.

232. *Dicitur*, Hæc petitio debet esse prima, quia prius est dimitti peccatum, quam sanctificare Deum, sicut prius est recedere a malo, quam facere bonum. R. Has petitiones esse positas *ordine intentionis, non ordine executionis.* Sanctificatio autem Dei est primum in intentione. Ideo ponitur prima, & reliquæ divina ordinatione. Dimissio peccati, & recedere a malo est primum in executione, sed posterius in intentione. Igitur hæ petitiones optime sunt posite ordine intentionis; sed ordine executionis incipi debet ab hac quinta, & progredi usque ad primam. Ita ut dimissis peccatis reficiamur pabulo salutari ad faciendam voluntatem Dei, ut sic regnet in nobis pacifice, ac tandem sanctificetur in omnibus ejus nomen.

233. Inq. Quid denotat *ly sicut*? R. Non denotat similitudinem æqualitatis, sed proportionis; nos enim pauca, & re-

mis-

mis dimittimus respectu Dei, qui dimittit nobis plura, & perfecte. Denotat conditionem, seu quoddam pactum. Unde si dimittis, dimittetur tibi: si non dimittis, nec tibi dimittetur.

234. Inq. Si hoc ita est, quomodo dicunt hanc orationem, qui dimittere nolunt? R. Nomine Ecclesiæ: ut sicut Ecclesia, & justi, qui sunt in ea, dimittunt, ita eis dimittatur a Deo. Vel etiam intelligendo, sicut ipsi debent dimittere, ita dimittatur eis: postulando auxilia ad mutandam voluntatem, ut dimittant etiam ipsi suis debitoribus.

235. Inq. Quæ debita debemus nos dimittere? R. Debita injuriæ, aut offensæ, non debita justitiæ, nec vindictæ publicæ autoritate judicis infligendæ. Omnis offensus tenetur remittere offensam ex corde, nam si non remittit ex corde, nec pater cælestis dimittet ei. Dimittere ex corde offensam est amare offensorem, nullum odium habendo erga illum, ad hoc obligat præceptum caritatis, & hoc requiritur tamquam conditio; ut dimittantur nobis delicta nostra. Dimittere autem etiam omnem satisfactionem, & vindictam publicam est consilii, & perfectionis, non præcepti.

236. Notat hic S. THERESIA, quod non dicimus dimittere nobis debita nostra, quia multum jejunamus, maceramus corpora nostra, aut te diligimus; sed quia dimittimus injurias nobis illatas, quia magister cælestis sciens nostram indolem vitiatam ad eas non remittendum, hanc causalem omnibus prætulit.

237. Inq. Quæ est sexta petitio? R. *Et ne nos inducas in tentationem.* Inq. Quid in ea petimus? R. Quod Deus det nobis auxilia ad vincendam tentationem, & non permittat nos consentire, aut cedere in tentatione. Inq. Quid, & quotuplex est tentatio? R. Tentatio est *suggestio, seu impulsus interior, vel exterior ad operandum.* Est duplex, nempe ad malum, vel ad bonum. Prima dicitur *tentatio deceptionis, secunda probationis.*

238. Inq. Diabolus est auctor omnis male tentationis? R. Non; plures enim procedunt a propria concupiscentia, & a mundo, hoc est ab hominibus mundanis. Potest tamen dici, quod est auctor omnis male tentationis, quia fuit primus

tentator in paradiso, & ex illa prima tentatione, qua vicit Adamum, tamquam ex radice corrupta oriuntur reliquæ.

239. Inq. Deus est auctor tentationis? R. Deus non tentat malos, nam *intenta-tor malorum est, ipse autem neminem tentat* (ad malum) ait Jacobus cap. 1. tentat vero Deus bonos, ut fiant meliores, sicut tentavit Abraham ad probandam ejus obedientiam, & Tobiam ut probaret ejus patientiam. Permittit etiam nos tentari suggestionibus Diaboli, non quantum vellet, sic enim, vae nobis! Sed quantum Deus ei permittit, ut patet cap. 1. Job, quem ut tentaret semel, & iterum, facultatem petivit a Deo.

240. Inq. Quid debemus agere dum sumus tentati? R. Orare fervide, & recitare hanc petitionem. Muniri signo crucis, & actibus oppositis tentationi: ac etiam meditatione Passionis Christi, & memorare novissima: repetere ex corde nomina *Jesu, & Mariæ*: invocare Angelum custodem, est enim peculiaris noster patronus, & protector. Unde implicite monemur in hac petitione de nostra fragilitate, ut, fugiamus tentationes, & earum occasiones, quia licet verum sit, quod tentatione justiprobandur; ordinarietamen tutius est tentationes fugere, & maxime eas, quæ aliciunt.

241. Inq. Quæ est septima petitio? R. *Sed libera nos a malo.* Hoc est ab omni peccato, aut ab omni malo spirituali, & virtutis impedimento. Vel petimus liberari ab omnibus malis hujus vitæ, & transferamur ad illud bonum, ubi nullum patiemur malum. Ita S. August. ep. 121. Ita etiam explicat hanc petitionem S. THERESIA cap. ult. viæ perfectionis, ubi mire exponit totam orationem dominicam, doctrina vere cælesti.

242. Inq. Cur non petimus liberari a malis corporalibus? R. Quia hoc non est fundatum in perfecta caritate; si quidem mala corporalia sæpe augment bona spiritualia. Ideo non petimus ab illis liberari; petimus tamen implicite auxilia ad ea tolleranda.

243. Inq. Cur in hac oratione non petuntur opes, honores, dignitates, aut bona temporalia? R. Triplici ex causa: *Prima*, quia hæc oratio est compendium Evangelii; Magister autem Evangelii

verbo, & exemplo docuit nos despiciere opes, honores, dignitates, & similia. *Secunda*, quia solum debemus petere temporalia, quæ nos conducant ad caelestia, & hæc petuntur nomine panis in quarta petitione. *Tertia*, quia si ex corde querimus regnum Dei, & justitiam ejus, cetera omnia adjicientur nobis.

244. Amen est vox hebraea, quæ nunquam fuit mutata nec a Græcis, nec a Latinis. In orationibus significat fiat; in mysteriis autem *verum est*, vel *ita est*.

245. Inq. Cur in Missa ministro respondente clara voce *sed liberanos a malo*, Sacerdos secreto subdit *Amen*? R. Ad significandum nos latere, an exaudiamur. Vult enim Deus nos de hoc incertos esse, ne torpeamus. Ita Gavant *de rubr. part. 2. tit. 10*. Dicamus ergo hanc sanctissimam orationem ita fervide, devote, & reverenter, ut a patre exaudiri mereamur per Jesum Christum Dominum nostrum, qui illam nos docere dignatus est, & cui eodem Patre, & Spiritu S. sit honor, & gloria in sæcula sempiterna. Amen.

CAPUT VI.

Ave Maria.

246. Inq. Cur post *Pater noster* fere semper dicitur *Ave Maria*? R. Ex duplici causa; *prima*, ut nobis concedatur, quod in *Pater noster* postulamus: est enim Maria potentior Advocata præ omnibus sanctis cum Deo, utpote incomparabiliter plus omnibus dilecta, sicut ergo in mundo dato memoriali Regi commendamus negotium validiori cum Rege, ut illud bene absolvat, ita pariter in presenti. Nam *Pater noster* est quodam memoriale a nobis Deo exhibitum, ad ejus optatum exitum, accedimus illico ad nostram Mediaticem. Quoniam *nihil nos Deus habere voluit, quod per Maria manus non transiret, ait S. Bonav. serm. de Nativ. Virg.* Unde patet, quam longe, misereque oberravit infelix Lutherus, qui alio vaide diverso *serm. de Natali Virg.* ausus fuit dicere: *se non pluris estimare preces B. Maria, quam cujuslibet e populo, propterea quod omnes simus æque justi, & sancti*. O insane! Num Islebia mater judicis non va-

let apud filium suum plusquam quilibet de populo? Igitur mater Christi judicis nostri sine dubio valebit apud ipsum plusquam quilibet e populo, adhuc dato errore tuo, quod omnes simus æque justi. Unde autem eruitur hoc commentum? Non sane ex sacra pagina, non ex conciliis, nec sanctis Patribus, aut vera theologia, omnia enim docent, quod justi differunt in sanctitate sicut stellæ in claritate. Verum beatissima Virgo Maria sic refulget in sanctitate, ut superet omnes simul Angelos, & sanctos in claritate, & sanctitate. Ergo valet præ omnibus ejus invocatio, & intercessio; & hæc est prima ratio eam salutandi post ejus charissimum filium.

247. Secunda, quia *Ave Maria* est oratio omnibus aliis excellentior post *Pater noster*. Continet enim præ aliis majores laudes, & prerogativas, quæ dici valent de beatissima Virgine. Ideoque est ei jucundissima. Est etiam antiquior omnibus, atque ab ipso Deo edocta.

248. Inq. Quot partes habet? R. Tres. Primam protulit Archangelus Gabriel, dum eam ex parte Dei salutavit dicens. *Ave gratia plena; Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus*. Secundam dixit Elisabeth inspirata a Spiritu sancto, repetendo ultima verba Angeli, & addendo: *& benedictus fructus ventris tui*. Tertiam addidit in Concilio Ephesino Ecclesia instructa ab eodem Spiritu S. *Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus. Amen*. Postea vero ex consuetudine ejusdem Ecclesie additum fuit: *Nunc, & in hora mortis nostræ*. Est igitur hæc oratio ab ipso Deo edocta, & tradita nobis per diversa organa Spiritus S. nempe Angeli, Elisabeth, & Ecclesie.

249. Inq. Quid vult dicere *Ave*? R. *Salve*, gaude, lætare. Ac si diceret Angelus: tu es inversa Eva, nam prima fuit mater mortis, tu vero mater vitæ, sanctorumque viventium. *Ave* igitur, salve, gaude, & lætare.

Aliqui putant, quod *Ave* non significat idem, ac *tibi deprecor salutem, & pacem*; quæ nunc SS. Virgini in caelis regnantis non congrue adaptari videntur, cum jam salute, & pace fruatur; sed solum denotare, aiunt, idem, ac si diceremus, quod *sancta, læta, hilaris, felix, bea-*

beata in Dei gratia, & gloria summe sit. Pateor me vix capere, aut invenire diversitatem. Possimus enim manifestare beatissimæ Virgini gaudium nostrum de sua salute, æterna pace, quæ fitur, sicut de sua gratia, & gloria, imò possumus devote desiderare, quod in hypothese possibili frueretur majori ac meliori pace, salute, hilaritate, gratia, & gloria. Gaudeamus igitur de summa pace, felicitate, gratia, & gloria dilectissimæ matris nostræ. Et optando illi plus gloria, si easset possibile, dicamus tenero corde, & filiali: *Ave*. Inq. Quis addidit *Maria*? R. Ecclesia, ut dulcedinè hujus sanctissimi nominis solatio, & fiducia repleamur. Inq. Quid significat *Maria*? R. *Dominam*, ipsa enim est dulcissima Domina, Regina, & Imperatrix nostra amabilissima. Interpretatur etiam *Maria* stella maris. 1. Quia in hoc mari procelloso mundi ducit nos ad portum salutis æternæ. 2. Quia in Passione filii fuit plena amaritudinæ sicut mare. 3. Quia est inmensa pelagus gratiarum, sicut enim omnia flumina intrant in mare, ita omnes gratiæ intrantur in *Mariam*.

Hinc merito salutatur ab Angelo: *gratia plena*; idest plena omnibus virtutibus, donis, & gratiis super omnes sanctos, & Angelos ornata, & repleta. Nam ut inquit S. Hieron. de Assumpt. *Bene plena, quia ceteris per partes præstat: Maria vero se tota infundit plenitudo gratiæ*.

250. *Dices*: *Act. 6.* dicitur de S. Stephano, quod erat *plenus gratia*, & de Elisabeth, & aliis sanctis similia habentur in sacra pagina, ergo hoc non est singularis prærogativa Mariæ. R. neg. cons. Triplex plenitudo distinguenda est, nempe Christi, Mariæ, & sanctorum. Plena sunt aqua fons, fluvius, & rivuli, aut diversa vasa juxta eorum capacitatem. Plenitudo Christi est instar fontis de cuius plenitudine omnes accepimus. Plenitudo sanctorum est sicut rivulorum. At plenitudo Mariæ est plenitudo superfluentis in omnes sanctos, & super omnes sanctos. Unde ipsa sola habuit plus gratiæ, quam omnes sancti, & Angeli simul sumpti.

251. Quid denotat *Dominus tecum*? R. Quod erat jucundum habitaculum SS.

Trinitatis. Si enim tota Trinitas habitabat in anima justi per gratiam, quanto jucundius habitabat in anima Mariæ? Hæc enim est verum tabernaculum Moysis, vera arca sanctificationis, verum templum Salomonis. Et si Dominus erat cum Gedeone, cui primo dictum est *Dominus tecum*. *Judith. 6.* Quanto amplius erat cum Maria? Alii intelligunt *Dominus tecum*, id est, erit per conceptionem, & incarnationem Verbi divini. Ita D. Thom. 3. *par. q. 30. art. 4.*

252. *Benedicta tu in mulieribus*: Idem præconium datum fuit Jahel, quæ occidit Sisaram, & Judith, quæ Holofernem obtuncavit. *Judith. 5. & Judith. 13.* Sed longe excellentius, ac verius, hoc præconium datur ab Angelo Mariæ, quæ dictas feminas, cæterasque virgines, & matronas mille gratis, privilegii, & benedictionibus incomparabiliter superavit. Ipsa enim vere contrivit caput tartarei Holofernis. Nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia matris habens eum virginitatis honore.

253. Benedictio competit foemini, vel ex virginitate Deo sacra, vel ex prole in matrimonio habita. Utraque autem benedictio excellentissime convenit Mariæ, quæ virgo virginum est, simulque mirabilis mater Dei. Unde Elisabeth tantæ dignitatis, & benedictionis per revelationem cognitæ in stuporem rapta repetendo verba Angeli exclamavit, & dixit: *Benedicta tu inter mulieres*.

254. *Et benedictus fructus ventris tui*: *ly* & est causale, ac si diceret: inde tu maxime benedicta, quia fructus ventris tui est benedictus per essentiam, & fons omnium benedictionum. Inde tu vere benedicta inter omnes mulieres, quia Deus simul, & homo est fructus ventris tui, juxta promissionem David factam *Psal. 131. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Dicitur fructus ad denotandum; quod fuit genitus ex substantia virginis, sicut ex substantia arboris producit fructus.

255. Additum est ab Ecclesia *Jesus ad assignandum hunc divinum fructum, & ad solatium fidelium, qui invocatione hujus dulcissimi nominis recreantur, & contra hostes, & tentationes roborantur*.

256. *Sancta Maria*. Inq. Quanta sanctitate floruit Virgo benedicta? R. Tanta,

quantam decebat matrem Dei. Aspice maternitatem, & metire, si vales, sanctitatem. Maternitas Dei est quasi infinita, ergo quasi infinita est sanctitas Virginis. Non est infinita, quia ad infinitum non adest capacitas in creatura; sed est prope infinita, ita ut superet sola sanctitas Virginis sanctitatem omnium hominum simul & Angelorum. *Humanitas Christi ex hoc quod est unita Deo, & beatitudo creata ex hoc quod est fructio Dei, & Beata Virgo ex hoc quod est mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam;* ait D. Thom. 1. p. 2. q. 25. a. 6. ad 4.

257. Inq. Cur dicimus mater Dei? R. Primo, quia ita vere, & realiter est mater Dei, sicut aliae mulieres sunt matres suorum filiorum. Secundo, quia sic merito fuit proclamata in Concilio Ephesino contra Nestorium, qui impie dicebat mariam *Christiparam*, non *Deiparam*. *Dices;* Quomodo Maria fuit mater Dei, cum non produxerit Deitatem? R. Neque aliae matres producant animam, & tamen sunt vere matres, quia ministrant materiam, ex qua generantur earum filii; ita ergo, quia beata Virgo vere concepit filium Dei ministrando materiam in ejus incarnatione, & vere eum peperit, vere dicitur mater Dei. Nec refert instare: Ergo erit mater patris, quia pater est Deus. Respondetur enim, quod nomen *Deus* non semper sumitur pro tribus personis, sed quandoque pro una sola. Unde cum dicitur, quod beata Virgo est mater Dei, nomen *Deus* supponit pro sola persona filii incarnata. D. Thom. 3. p. 1. q. 31. a. 4. ad 3.

258. Inq. Quid denotat ora pro nobis peccatoribus? R. Ecclesia monet nos his verbis, quod beata Virgo non solum est laudanda, sed etiam invocanda, & imploranda a nobis. Ideo ejus majori laudi, qualis est maternitas Dei, adjungimus opportune ora pro nobis peccatoribus: quo rogamus eam, ut apud Deum sit advocata, & interpellatrix nostra. Dicitur pro nobis, quia caritas nescit *meum*, & tuum; sed facit omnia bona communia.

259. Peccatoribus, quo humiliter fateamur nos esse vere peccatores; ideoque indigere auxilio talis advocatae, ut semper exiterit immunis ab omni labe peccati. Simulque roxocamus in ejus memoriam

hos peccatores fuisse occasionem suae altissimae dignitatis, & admirabilis maternitatis. Et sicut filius non venit vocare justos, sed peccatores, ita piissima mater praecipue protegat peccatores, & sit misericors mater peccatorum.

260. Nunc denotat tempus praesens, & futurum usque ad mortem. Inq. Cur addimus & in hora mortis nostrae? R. Quia tunc est majus periculum, tunc enim est periculis inimicus tamquam in ultima lucta, & tunc decernetur nostra causa pro tota aeternitate. Verum si adsit Maria, secunda est nostra victoria. Amen, id est, fiat.

261. Inq. Cur pulsantur campanae vespere, mane, & meridie ad recitandum Ave Maria. R. Ad delectandum nos pluries indigere protectione beatae Virginis. Item ad recolenda tria praecipue mysteria redemptionis, nempe incarnatione, Passio, & Resurrectio Christi. Nam probabilis Incarnatio peracta fuit vespere, Passio, seu mors post meridiem, & resurrectio mane. Alii putant ita fieri ad adorandum incarnationis mysterium, de quo non constat certo, an mane, vespere, aut meridie sit peractum.

CAPUT VII.

Salve Regina.

262. Haec est alia oratio celebratissima, recepta, & approbata ab Ecclesia, qua salutamus, & invocamus sanctissimam Dei matrem; presentando ei sua elogia, nostrasque miseras. Inq. Quis illam composuit? R. Habet tres partes, prima a principio usque ad *O clemens!* dicitur composita ab Hermanno contra d. monacho Benedictino. Secunda nempe *O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria!* a S. Bernardo. Tertia ora pro nobis & addidit Ecclesia. Gregorius IX. illam canit, & recitari in Ecclesia primus ordinavit.

263. Salve idem significat ac Ave, & est salutatio urbana, festiva, jucunda, & reverentialis, qua denotamus optare nos omnem felicitatem beatissimae Virginis, vel potius congaudere de ejus summa felicitate. Regina merito sic appellatur, est enim mater Christi, Regis Regum. Ideo ipsa est Regina hominum, & Angelorum, Regi-

na omnium gentium, Regina denique omnium saeculorum. Caeterae Reginae cito fiunt; Regina saeculorum manet in aeternum. Sicut Jesus filius ejus regnabit in domino Jacob in aeternum; ita pariter mater ejus regnabit simul cum filio suo dilectissimo regnabit in aeternum.

264. Mater misericordiae, quia ab ipsa prodit illa misericordia, de qua coecum David Psalms 147. Surcepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Item quia omnium miseretur velut mater valde amabilis. Vita, quia per ipsam habemus Christum, qui confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam. Item quia ipsa curat obtinere nobis gratiam, quae est animae vita. Dulcedo, quia est fons omnis dulcedinis animabus vere sibi devotis; & quia omnes solatur, & neminem unquam contristavit.

265. Spes nostra: id est, tota fiducia nostra post Deum. Deus enim est objectum primarium nostrae spei; sed habet Regnum justitiae, & Regnum misericordiae; sibi que reservans Regnum justitiae, transtulit quodam modo Regnum misericordiae in Mariam, quae ideo post Deum est spes nostra. Unde plures, qui ob sua scelera damnandi erant in Regno, supplicore justitiae appellando ad Regnum, & tribunal misericordiae salvantur per Mariam.

266. Ad te clamamus exules, denotat nos implorare auxilium ejus fervido corde, & ore tamquam exules a nostra patria, quae est caelum. Simulque patefacimus, & in memoriam revocamus maestum exilium, quod patimur, velut haereditarium a primis parentibus. Filii Evae, ita appellamur, ut amplius compatiatur nobis, nostraeque fragilitati, ut si ex filiatione primae Evae sumus adeo miseri, ex filiatione secundae simus felices, & beati.

267. Quidam ajunt nos dici exules filii Evae, non Adami, quia Eva ut pote formata in Paradiso fuit proprie relegata ab eo; non Adam, qui fuit formatus in campo Damasceno, ad quem fuit expulsus, qui autem mittitur ad suum solum, non reputatur proprie relegatus. Sed hoc plus delicate quam solide dicitur; quoniam Adam vere fuit exiliatus a Paradiso, & exul ab eo vixit, de sua cul-

pa, seipsum agens poenitentiam *noventis triginta annis*. Filii ejus plura committimus peccata, & breviorum recusamus poenitentiam. Vae nobis!

268. Ad te suspiramus gementes, & fletus; proponimus his verbis nostram miseram sortem, suspiria, & gemitus ad movendam ejus pietatem pro tanta afflictionis remedio. In hac lacrymarum valle, quia nihil aliud est mundus nisi vallis lacrymarum, & locus exilii, laboris, & planctus.

269. Eja et ego advocata nostra; exposita jam nostra, miseriam petimus cum fiducia illos tuos misericordes oculos ad nos convertere, quia idem erit eam aspicere, ac sublevare. De quadam avicula, vocata *Avi Paradisi*, fertur, quod si aspicit infirmum placidis oculis, signum est, quod sanabit. Ita, & plusquam ita, si Maria placide nos aspiciat, sani, & salvi erimus.

270. Et Jesum benedictum fructum ventris tui. His verbis miscendo elogia precibus postulamus, quod post hanc vitam, quae est vere exilium, ostendat nobis filium suum Jesum: quia velut vera mater habet quandam potestatem eum ostendendi, *O pia! O pia!* *O dulcis Virgo Maria!* sunt tituli aequae proprii, ac opportuni ad inclinandam ejus pietatem, ut concedat nobis, quae petimus.


271. Ora pro nobis sancta Dei genitrix, ut digni efficiamur promissionibus Christi. Haec est aurea corona totius orationis, exponendo etenim ei maximam dignitatem matris Dei poscimus, quod oret pro nobis, ut obtineamus promissiones Christi, id est, quicquid nobis convenit ad salutem, & praecipue gratiam pro hac vita, & pro altera gloriam.

Inq. An detur praecceptum proprium recitandi a fidelibus has tres orationes *Pater noster*, *Ave Maria*, & *Salve Regina*? R. neg. Quia non invenitur jus positivum praecipiens illas ab omnibus recitari, nec expedit imponere obligationes non satis fundatas. Ex consilio, & devotione omnes recitare illas est valde aequum, pium, & salutare; obligatio vero, ubi non est, minime est asserenda. Idemque intelligas, dum pulsatur ad recitandas *Ave Marias*, quia nec tunc est obli-

INDEX

RERUM, ET VERBORUM TOMI SECUNDI.

Numerus primus indicat Paginam: Secundus numerum marginalem.



A

Abates quasi Episcopali jurisdictione gaudentes sunt ordinarii poenitentiarum ministri in suis ditionibus. 121. 233. Gaudent facultate Episcopis concessa in cap. *Liceat Episcopis*, 153. 375. Abates mitrati valent conferre propriis subditis tonsuram, & quatuor ordines minores. 189. 22. Abbatis sunt beneficia majora. 221. 3. Dicitur etiam Abbatia beneficium duplex. 4. Abbas in Ecclesia sibi pleno jure subjecta potest instituere presentatum ad beneficia, sicut Episcopus. 232. 62. Potest dispensare licite cum causa in denuotiationibus ad matrimonium. 322, 283. Abbatissæ, seu Priorissæ possunt declarare, quando moniales teneantur, vel non ad jejunium 354. 345. Quædam notatu digna de Abbatissa regali monasterii Burgensis, vulgo *Huelgas*. 368. 16. & 17. Præcepta posita a Priorissis, & Abbatissis sunt solum politica, & obligant subditas juxta gravitatem materiae. Ibi. Sub poena excommunicationis, Pontifici reservata, ipso facto incurrenda prohibentur Abbatissæ, seu Priorissæ admittere intra clausuram personas extraneas cujusque sexus, & ætatis. 421. 62. Abraham, & alii Patriarchæ antiqui usi fuerunt polygamia ex Dei dispensatione. 290. 112. Cur Limbus Patrum dicatur sinus Abrahe, & non alterius Patriarchæ. 510. 46. Abel fuit filius Adæ sine avo. 307. 263. Primum argumentum gratitudinis ful-

get in Abel, qui ex primogenitis grægum, & ex fructibus terre primitias obtulit Deo. 364. 192. Cur Deus respexit ad muera Abel, potius quam ad Caïn. Ibi. Ablutio exterior est materia proxima baptismi. 18. 12. Non requiritur triplex ablutio. Ibi: Quanta aqua sufficiat: ibi: Quæ pars corporis abluī debeat. 13. Quid si solum pes, aut manus abluī valeat. Ibi: Quid de infante intra uterum. 18. 14. Absalon, & Cham fuerunt suis parentibus ingrattissimi filii. 419. 51. Absolutio potest dari sub conditione, quando Confessarius dubitat de ejus prolatione. 6. 27. Etiam dum anceps est de vero dolore pueri, præsertim si adest materia gravis. Ibi. Nullum concilium, aut Rituale damnat absolutionem ex causa conditionalem. 28. Quædam conditiones nimis generales reprobantur pro conferenda absolutione. 29. Nequit dari scripto, aut notibus. 111. 179. Cætera de absolutione vide num. seqq. usque ad 398. Absolutus virtute Bullæ, jubilei, aut alterius facultatis manet absolutus a casibus & censuris reservatis etiam oblitis. 170. 52. Idem est de absolutione a Superiori collata. Ibi. Quid possit absolvere Sacerdos simplex in articulo mortis. 197. 65. Vi Bullæ Cruciatæ absolutus valet peccatum occultum simonie. 268. 129. Absolutionis non est capax ignorans mysteria fidei. 491. 149. Abstinencia requisita prosumenda Eucharistia equalis. 39. 53. & seq. Aqua in hora servanda sit. 40. 58. Abstinencia ab

obligatio per se eas recitandi, sed per accidens ratione scandali potest dari culpa in omissione, ut ait eximius Doctor tom. 2. lib. 3. c. 6. n. 11. Notum sit omnibus Beatedicti XIII. 14. septembris anno 1724. concessisse indulgentiam centum dierum quolibet die lucranda a recitanti flexis genibus (extra tempus paschale, Sabbathis, et Dominicis totius anni) ter salutationem Angelicam cum antiphona *Angelus Domini*, &c. ad pulsum campanæ, quæ sit mane, meridie, aut vespere, & in super indulgentiam plenariam singulis mensibus ab eis lucranda, die quo communionem Angelicam refecti fuerint. Merati in Gabant. tom. 2. sect. 5. cap. 2. infine. Beatedicti XIV. Inst. 61. num. 1.

FINIS TOMI II.